Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2583

Quelle:
Copyright:



*ralis, in qua explicantur ea, quae Eccleſiaſticos, potiſſimum vero curam animarum gerentes ſcire oportet.* Extat *Cod.* CCCXXIV. *Theoria Theologiae*, quam *Speculativam* vocant, quam a *Cph. Labbeo* Jeſuita *Leopoldo* Archid. Epiſcopo *Paſſav.* traditam conjecta-vimus. Conjectura haec ad certitudinem convaleſcit ex Opere praeſenti, cujus *p. penult.* legitur: *Decimum quintum uero Tractatum de documentis contra peccata, quem bonæ memoriæ P. Chriſtopborus Labbe — compoſuit, quia perficere non licet, piget aggredi* &c. Verba ſunt haec *Wilh. Jonſtoni Scoti Novienſis* itidem Jeſuitae, qui a docta *Graecii Stiror.* Philoſophia, Theologiaque *Labbei* in erudiendo Principe ſucceſſor factus a. 1608. non niſi usque ad finem ſequentis anni ſuperſtes fuit. Sex *Tractatibus* definitur ejus Inſtitutio, ad cujus calcem manu Sereniſſimi Diſcipuli haec legas notata: *Laus Deo Virginique Matri Mariæ; et omnibus SS. Patronis Meis. S. Leopoldo, S. Wolfgango, S. Bennoni, S. Cæciliæ, S. Barbaræ, S. Catharinæ, et S. Mariæ Magdalenæ. 1608. Pietas ad omnia utilis. Leopoldus Die 28. Julij. Paſſavij, Profeſſore Reuerendo in Chriſto Patre Wilhelmo Jonſtonius.* A *Leopoldo* porro tranſiit *Codex* hic, ut in fronte ſcriptum reperio, ad Archiducem *Sigismundum Franciſcum*, et ipſum tribus in Adoleſcentia Infulis, *Gurcenſi*, *Auguſtana* et *Tridentina* conſpicuum, quibus tamen a. 1665. renuntiavit et Sponſus eodem anno obiit *Oeniponte.*

## DCLXXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. 307
XV. Folior. 328. f. currente calamo per duas columnas a diverſis exaratus ſequentia continet: I. *Thomae Ebendorfer* dicti *de Haſelbach Tractatum de Confeſſione.* In illud: *Ecce nunc tempus acceptabile* &c. Initium: *Haymo exponens verba premiſſa dicit* &c. Finis: *pauper autem prudens ſcrutabitur eum. Expliciunt collaciones magiſtri thome de Haſelpach de confeſſione Anno 1449.* Collationes hae, quod ſciam, lucem nunquam videre, memorantur tamen *mſptae* aliquot locis in *Vita* Autoris inter *Scriptt. Univ. Vienn. P. I. Sec. 1. p. 158.* Librarium noſtrum lepidum caput fuiſſe oportet; nam *fol.* 26. p. 2. relicto aliquot linearum ſpatio adſcripſit: *Hic nibil difficit niſi aurum et argentum. Sit laus deo.*

II. *fol.* 63. *Expoſitio ſimbuli apoſtolorum.* Initium: *Ex quo communiter ſolet ſcribi et dici coram ſimplicibus et communibus laycis* &c. Procedit Anonymus juxta receptam olim opinionem, ſingulos Articulos a ſingulis Apoſtolis congeſtos fuiſſe, et in *Art. nono* ad Doctrinam *de Sacramentis* excurrit. Verum mutilum eſt Exemplar noſtrum, et in Sacramento *Confirmationis* deficit. Non haererem Expoſitionem hanc pariter *Thomae Haſelbachio* adſerere, niſi

Autor